ACTUM

ORATORIUM CRASTINO DIE

HORA IX ANTEMERIDIANA 1811.

IN AUDITORIO CLASSIS SELECTAE

INSTITUENDUM

DECENTER INDICIT

JO. CONRAD. SCHAUBACH.

Exhibentur observationes quaedam in scholia ad Germanici Caesaris prognostica.

MEININGAE,
LITERIS HARTMANNIANIS.

In explicando ortu atque occasu siderum auctor scholiorum *ad Germanici Caesaris prognostica* maxime Plinium (hist. nat. lib. XVIII.) secutus esse videtur. Jam ab initio haec leguntur: *A bruma in favonium Caesari nobilia sidera significant. III. cal. Januarias matutino Canis occidens, quo die Atticae et finitimis regionibus Aquila vespere occidere traditur. Pridie nonas Januarias Caesari Delphinus matutino exoritur, et postero exoritur Fidicula, quando Sagitta vespere occidit. Item quinto idus Januarias eiusdem Delphini vespertinus occasus et continui dies hiemis Italiae, cum Sol in Aquarium sentitur transire, quod fere XVIII. cal Febr. evenit. VIII. (cal.) Febr. Regia stella appellata Tuberoni in pectore Leonis occidit matutino et pridie non. Febr. Fidicula vesperi occidit. A Favonio in aequinoctium Caesari significant IV cal. Mart. quatriduum varie, et VIII cal. Mart. hirundinis visus, et postero die Orionis* [exortus] *et in Attica Milvus apparere observatur. Idibus Martiis Caesar ferales sibi notavit Scorpionis occasus. III. cal. Aprilis Italiae Milvus ostenditur. XII. cal. Apriles Equus occidit matutino* (vesperi).

Notae ad hunc locum.

Tertio calend. Januarias occidebat primo aerae nostrae

 Canis

Canis Romae 4^h, $15'$ matutino, (anno Columella falso vespertinum ortum intelligit, quod corrigit Plinius) *Aquila* vero in Attica, vespere 5^h, $58'$.

Pridie nonas Januarias Delphinus matutino 6^h, $48'$ exoritur, *et postero exoritur Fidicula*, *quando Sagitta vesperi occidit.* Plinius *et postero die.* Sed, quod idem est, omisi cum Morelio vocem *die.* Pro *quando Sagitta* legitur in Plinio *quo Aegypto Sagitta.* Occidit Romae 6^h, $22'$ vespere At sine dubio etiam hoc loco supplendum *Aegypto.* De *Lyra* locus est inextricabilis, qui tamen ex errore librariorum vel incuria Romanorum in transscribendis parapegmatibus graecis ortus esse videtur, cuius erroris exemplum in Milvo, ut alia praeteream, videbimus. Notissimi sunt illi versus Ovidii in Fastis (I, 315)

Institerint Nonae: missi tibi nubibus atris
Signa dabunt imbres, exoriente Lyra.

Disputatum est de hoc Ovidii loco a viris doctis nulla tamen successu, ita ut *la Lande* (Atron T. II, § 1611) omnem hanc disputationem his verbis absolvere cogatur: *Les poëtes ne se piquent pas d'une bien grande précision,* At non *Ovidium* modo errasse, sed etiam *Columellam* et *Plinium* perspicuum est. *Columella* enim (XI, 2): *Non. Jan. Fidis exoritur mane*, et *Plinius* (lib. VIII, 26): *Pridie Non. Januar. Caesari Delphinus matutino exoritur et postero die Fidicula*, *quo Aegypto Sagitta vesperi occidit.* Idem affirmatur in libro *de stellarum significationibus*, quod *Ptolemaeo* tribuitur, interprete *Nicolao Leonico* apud *Petavium* (Uranolog. pag. 54.). Sed desunt haec verba in ipso libro graeco Ptolemaei *de apparentiis* et in *Gemino.* Atqui si ipsa phaenomena consulas, Lyram oriri Romae initio Novembris, et nunc initio Januarii mane in horizonte adesse videbis. Confundebatur igitur sine dubio ortus Lyrae cum occasu eius vespertino, de quo mox sermo erit, atque haec praecepta in fastis Caesaris, quos omnes ante oculos habue-

habuerant scriptores, fortasse ita expressa erant, si Plinium sequi eumque ipsum ab erroris culpa vindicare licet: *Pridie nonas Januarii Caesari Delphinus exoritur et postero die Fidicula, quo Aegypto Sagitta, vesperi occidit.* Et occidebat re vera α Lyrae 7^h, 34′ vesperi.

Cum Sol in Aquarium sentitur transire, quod fere XVIII cal. Februar. evenit, i. e. d. 15 Januarii, *Columella* XVII, *Plinius* et *Ovidius* XVI. Secundum calculum illo tempore d. 21 et 22; secundum *Petavium* (Var. dissert. I, VI, pg. 31) d. 24 Januarii anno Juliano primo.

VIII. cal. Februar. stella Regia appellata Tuberoni in pectore Leonis occidit matutino. Vocem *cal.* ex *Plinio* supplendam esse arbitratus sum. Omissa erat in vulgatis et caetera ita scripta: *Regia stella Tuberoni. Tuberoni* in *Plinio* tantum legitur, omissum est a *Columella.* Stella α Leonis occidit matut. 7^h, 2′, duas fere horas ante Solis ortum & Lyrae 5^h, 39′ vesperi. *Columella III non. Februar. Fides tota et Leo medius occidit.* Plura, quae hoc loco Plinius de agricultura exposuit, in scholiis ad *Germanicum Caesarem* omissa sunt.

A Favonio in aequinoctium Plinius addidit *vernum. Quatriduum* Plinius XVII cal. Mart. *triduum. Arcturus* oriebatur VII. cal. Mart. 7^h, 17′ vesperi. *Item non. Mart. Caesar Cancri exortu* caet. Plinius *III non. Mart.* Sed de Cancri ortu res dubia est et fortasse totus hic locus spurius censendus etiam in Plinio, ubi idem legitur. Nam Cancer hoc tempore a meridie 10′ postquam Sol meridianum reliquerat, oriebatur. Cum vero *Coronam*, quae circa horam sextam 32′ a meridie oriebatur, cuiusque mentionem faciunt *Geminus* aliique, a Plinio omissam esse viderem, pro *Cancri*, *Coronae exortu* legendum esse putaveram. Nihil tamen muto. *Aquilonii Piscis* Ita *Plinius*, Vulg *aquilonis Piscis.* Ortus eius fiebat 5^h 7′ mane. Quae de *Orione* sequuntur etiam depravata videntur. Ex mappis

pis enim astronomicis iam perspicuum fit, *Oriona* longe post *Piscis* aquilonii exortum matutino tempore, emergere. Igitur vel *Auriga*, vel *Perseus* substituendus, vel, quod verisimilius videtur, glossema est in Plinio obvium, neque in contextu Pliniano repetitur post vocem Orionis vocabulum *exortus*, unde fortasse etiam *occasus* suppleri possit, etsi serius occidit. De *Milvo* idem error. Nam Cygnus, si eum substituas, 10^h, 42′ in Attica et 9^h, 40′ Romae oriebatur. Sed rem exposuit *Ideler* (Untersuchung ueber den Ursprung und die Bedeutung der Sternnamen pg. 77.), qui recte iudicat, Romanos *milvum avem*, quae illo tempore apparet, ut hirundo, confundere cum Cygno sidere. In fastis enim Gemini aliorumque. Graecorum scriptum est Ἰκτῖνος φαίνεται, de sideribus autem vocabulo ἐπιτέλλειν utuntur rerum astronomicarum scriptores.

Idib. Mart. Caesar ferales sibi notavit Scorpionis occasus. Scorpius 7^h, 45′ mane occidit, in occidentalis igitur horizontis regione ante Solis exortum conspiciebatur. *Ferales* dicuntur, quod hoc die Caesar in Senatu interfectus erat. cf. *Harduin.* ad Plin XVIII, 26. *Equus occidit vesperi.* Ita legendum esse, rationes astronomicae suadent. Si enim ad calculum praecepta veterum revocas; invenies β Equi hoc die 4^h, 57′ vesperi occidere. Ad unum fere omnes affirmant *Columella*, *Plinius* aliique *Equum mane* occidere. Est in illis etiam *Geminus*, qui Sole in Piscibus versante die 14, quod primo anno aerae nostrae d. 15 Mart. accidit, dicit: Εὐκτήμονι δὲ ἵππος ἑῷος δύνει. *Ptolemaeus* solus ad veritatem accedit, in libro de apparentiis affirmans, communem *Equi* et *Andromedae* stellam prima nocte occidere (ἑσπέριος δύνει).

Addit praeterea Scholiastes Germanici (pag. 113 ed. Buhle) cum Plinio: *Aequinoctium vernum VIII cal. Aprilis peragi videtur*, et paullo post (pag. 114), *VIII cal. Julias, longissimus dies et nox brevissima Solstitium conficit.* Atqui ex calculo erat

erat aequinoctium vernum d. 25 Mart. mane hor. 1; *Petavius* ad annum primum Julianum (45 ant. Chr. n.) idem invenerat; solstitium vero d. 24 Jun. a meridie hora 5. Hinc apparet, in scholiis Germanici cum Plinio ex rudi observatione aequinoctium d. 25 Mart. constitutum, solstitia autem accuratius a veteribus observata ac definita esse, id quod ex imperfecta illa observandi ratione, instrumentorumque structura facile colligi potest. Hinc varia ista aequinoctii autumni indicatio, quam idem scholiastes ex Plinio addit (pag. 115) his verbis *): *Deinde III Idus Vergiliae occidunt. Occasum matutinum Vergiliarum Hesiodus (nam huius quoque nomine exstat astrologia) tradidit fieri, cum aequinoctium autumni conficeretur, quod Thales* XXV *die ab aequinoctio, Anaximander XXIX, Euctemon XLVIII, nos autem, sequentes observationem Caesaris, XLV die ab aequinoctio dicimus fieri.* Si ad calculum et rationes astronomicas respicimus, erat aequinoctium Hesiodi tempore seu 750 annos ant. Chr. n. secundum tabulas Zachianas d. 30 Septembr., ubi Sol oriebatur 6^h, $11'$, atque occasus matutinus η Pleiadum eodem die 7^h $49'$ sub elevatione poli $38°$. Occidebat igitur Pleias 1^h, $38'$ post Solis ortum, vel, quod idem est, conspiciebatur ab Hesiodo matutino tempore in regione caeli occidentali ante Solis ortum, etsi non in ipso horizonte. Thaletis tempore seu 600 annos ante Chr. n. aequinoctium autumni eodem d. 30 Septembr. conficiebatur, igitur parum differebat Pleiadis situs in caelo ad horizontem. Acriori tamen caeli observatione adductus putaverat *Thales* huius sideris occasum matutinum non ad ipsum aequinoctii diem referendum esse, sed XXV. ab aequinoctio accidere, i. e. d. 26 Oct., quo die sub eadem elevatione poli oriebatur Sol 6^h, $22'$, vel $11'$ prius occidebat, quam Sol apparebat, atque ante Solis exor-

*) Restitui cum Morelio locum ex Plinio, qui in vulgatis corruptissime legitur.

exortum propius horizontem conspiciebatur. Idem de *Anaximandri* observatione atque sententia iudicandum erit. *Euctemonis* tempore seu 400 annos ant Chr. n. contigerat aequinoctium d. 28. Septembr. XLVIII dies post hunc diem vel 15 Novembr. oriebatur Sol 7^h, 3′ mane, et occasus matutinus Pleiadum sub eadem latitudine erat 5^h, 9′, igitur 2^h ante Solis ortum. *Caesaris* tandem tempore aequinoctii dies ex calculis prodit d. 25 Sept. Die igitur XLV, ab aequinoctio seu d. 9 Novembr. Solis ortus erat 6^h, 41′ Romae, et Pleiadis occasus 5^h, 58′ mane, vel 43′ ante Solis exortum. *Varro* eundem occasum XXXII, et *Columella* XL dies post aequinoctium statuunt. Haec Vergiliarum observatio insignis erat apud veteres ab Hesiodi tempore, quas, Plinio teste, in caelo notabiles caterva fecerat, ut caelum intueretur agricola et sidera quaereret, atque ab omnibus fere, qui rei astronomicae vel agriculturae studuerunt, deque iis prima praecepta dederunt auctoribus laudatae sunt. Sed omnes istae observationes et aequinoctii et siderum in horizonte rudi aliquo et pinguiori rusticorum more institutae sunt, nec est, cur in explicandis praeceptis ad cosmicum siderum ortum aut ad ultimam antiquitatem refugias. Ex eadem hac imperfecta astra observandi ratione petenda est notissima illa bipartita anni sectio ad Vergiliarum ortum et occasum, *aestatis* scilicet seu *messis* exortu matutino, *hiemis* vero seu *sementis* ex occasu matutino, de quo iam Hesiodi versus ἐϱγ. 381 seq. explicandi sunt, reiectis v. 383 — 85 ab alio, ut puto, rei non satis perito assutis. Vario modo disputarunt de his locis viri docti, neque *Petavius* sibi constare videtur, qui etsi imperfecta veterum sidera observandi ratio eum non fugerat, in explicando matutino Vergiliarum occasu censet (Uranol. Var. dissert. II, 9, pg. 52, b. ed. Antw.), Thaletem de *vero*, Anaximandrum de *apparente* praecepta dedisse illamque Thaletis observationem, quae casu accura-

curatius, quam expectare poteras, tum phaenomenis convenit, *eximiam* appellat. Euctemonis tempore statuit Petavius occasum matutinum verum Librae 27°, 44′, *ad quod*, pergit, *spatii aliquid accedat oportet ad usque* [illegible] *etiam apparentis occasus gradus aliqui sunt.* Igitur etiam in his nihil subtili et limatae Euctemonis observationi tribuendum erit, qui aeque ac reliqui non ex calculo, sed ex sensuum iudicio praecepta dedit agricolis.

Iuvenes decem in academiam se conferre cupiunt crastino die publice orationes habituri.

Georg. Marschall et *Frider. Ritz Meiningenses conditionem artis medicae* ille *Platonis* tempore, lingua vernacula, hic *Ptolemaeorum saeculo* latine exponent.

Jo Elias Koch Meiningensis de *origine mali* disseret lingua vernacula.

Guilielm. Schneider Frauenbreitungensis ostendet rationem, qua veterum Romanorum ostenta atque prodigia ex historia naturali explicari possint, latine.

Frideric. Rockenbrandt Meiningensis preces ad deum faciens hebraico sermone usurus auspicabitur actum oratorium, eoque finito versibus germanicis valedicet.

Ottmar. Rommel Nordhemensis de bonarum literarum praestantia earumque vi atque effectu ad salutem publicam et privatam, sermone gallico,

Carol. Kirchner Oberstadensis de providentia dei germanice;

Christian. Gustav. Koehler Meiningensis de consensu rationis atque religionis christianae in explicandis ethicae praeceptis itidem lingua vernacula agent.

Christian. Imman. Mots Salzungensis virtutem se ipsa ad beate vivendum contentam esse ex veterum philosophorum sententiis latine *ostendet.*

Henric. Milz Salzungensis de literarum conditione medio aevo lingua vernacula disseret.

Omnes igitur literarum MAECENATES et FAUTORES, ut solennibus his frequentes adesse et iuvenibus dicturis audientiam facere favoremque praestare velint, humanissime oro rogoque. P. P. d. XVI. Sept. CIƆIƆCCCXXI.